



# OPIZZO J.

Moncellus *appell.* Morellus.



ALBERICUS MALASPINA.



**A**lbericus Malaspina duos filios procreavit, Gabrielem, à quo Marchiones Fosdenovi, Massa &c. & Eleazarum, à quo mediante Leonardo ejus filio, provenerunt Jacobus Marchio Viani, Alphonfus Marchio Gragnole, & Jo: Baptista Marchio Castri Aquile. Jacobus Marchio Viani, orbis legitima prole, Octavium filium suum ipsum ad successionem contendit, obtenta ejus legitimatione à quodam Comite Cornelio Veneto, qui hujusmodi Privilegium habebat à Carolo Quinto Imperatore.

Mortuo postmodum Alphonso Marchione Gragnolæ sine filiis masculis, ventum est ad transactionem super ejus Bonis Phæudalibus inter prædictum Octavium, & Joannem Baptistam March. Castri Aquilæ, qui, præter cœtera, ipsius Spurii legitimationem in contractu confirmavit, ac ratam habere promisit pro se, & suis Hæredibus, & Successoribus.

Hoc non obstante, mortuo demum Joanne Baptista, Transactioni non acquiescentes ejus filii Cosmus, & Alexander, in Jus vocaverunt Leonardum, & Eleazarum filios legitimos Octavii legitimi; Causaque delegata Rotæ Lunensî cum Voto consultivo pro minori Partium dispendio, visum fuit, legitimationem non sustineri cum præjudicio trahentium Jus quæsitum ab antiquissimis Investituris; Et quoad Transactionem Consultum ab eadem Rota, quod cum Cosmus, & Alexander jure proprio succederent in Phæudo Viani, tanquam non hæredes Patris, ad ipsius factum servandum non tenerentur: Ac proindè post enixam causæ discussionem, exclusis per sententiam Imperialis Aulici

lici Consilii Leonardo, & Eleazaro, admissi fuerunt ad successionem Cosmus, & Alexander quamvis remotiores, & quamvis essent filii Joannis Baptista, qui promiserat observantiam supradictae legitimationis.

Insuper, cum eadem Phæuda Viani, Gragnolæ, Castri Aquilæ purificata fuerint in Alexandro unico superitite ex descendens Masculis legitimis Eleazari, mortuo ipso Alexandro, orta est Controversia de successione inter Carolum Marchionem Solferini jus habentem à Matre sua Marcella Sobrina in quarto gradu, ac hærede Alexandri, & Jacobum Marchionem Fosdenovi Agnatum Masculum descendentem ab Alberico comuni Progenitore: Eodemque tempore adversus utrumque adfuerunt Phiscus Imperialis allegans caducitatem, ob non renovatas Investituras, & legatus Regis Hispaniarum ob veteres pretensiones Ducatus Mediolani super Provincia Lunensi vigore cujusdam Investituræ concessæ Joanni Galeatio Vicecomiti à Wenceslao Imperatore: Et tamen Consilium Aulicum Imperiale, habitatione ad originarias Investituras concessas à Friderico primo Opizzoni Malaspina -- *pro se, & hæredibus suis legitimis* -- ac reputans, eam providentiam non adimpleri in Carolo Marchione Solferini hærede hæreditatis, non autem sanguinis, nec subsistere petita ab Hispaniarum Rege, declaravit, successionem prædictorum Phæudorum ad Jacobum Marchionem Fosdenovi pertinere, ut latius videtur in sententia, quam refert per extensum *Altograd. cons. 8. lib. 2.*

Et ita pariter judicatum reperitur ab eodem Excelso Consilio Anno 1638. circa successionem ad Phæudum Madrognani pro Morello, & Paulo Marchionibus Mulatii, prevalente ad eorum favorem jure Agnationis per lineam Masculinam contra Marchionem Rynaldum de Suvero filium sororis Julii Cæsaris ultimi Marchionis dicti loci, nullatenus ei suffragante quod esset de eodem sanguine Malaspina, & ob id comprehensus in dispositione primi Acquirentis, prout nec prodesse eidem valuit Testamentum prædicti ultimi Vassalli à sui favore stipulatum, nec Investitura, quam obtinuerat ab Imperatore, nec demum ea omnia, quæ à sapientissimis Jurisconsultis, & presertim à Bartholomeo Sertorio Mediolanensi Senatore ad opportunitatem flagrantissimæ Controversiæ cumulata, & deducta fuerunt in contradictorio Judicio.

Quare &c.

LUCÆ (1728.)

Typis Dominici Ciuffetti. SUP. PERMISSU.